

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0257

0255

0261

0251

0266

0246

0306

0206

0356

0156

0756

245

non modicam de eadem, deinde sudarium Domini, camisiam beatae Mariae Virginis, fasciam, qua beata Virgo strinxit puerum Jesum, praesepii dominici partem, ferrum lanceae, quo latus Domini transfixum fuit, et brachium S. Simeonis et plura alia accepit vir ille magnificus cum maxima devotione et plurium miraculorum ostensatione, sicut patet in Spec. histor. Libr. XXV. c. 5., eaque in Alemanniam detulit, in civitatem sedis suae Aquisgranum, et in ecclesiam b. Virginis, quam aedificaverat, collocavit, quae ibi hodie in honore habentur et ostenduntur de septennio in septennium; ad quam ostensionem innumera confluit fidelium multitudo, et praecipue Ungari cum turmis magnis fines suos egrediuntur et in Aquis congregantur. Has reliquias ego ipse vidi anno Domini 1468.

Aliquas etiam reliquias retinuit in curia sua easque deputavit pro curia imperii, et has cum imperialibus insigniis pretiosissimis ad locum certum imperii deposuit, unde nunc apud Segodunum, quod est Nüremberga, reposita habentur et annis singulis feria VI. post Quasimodo etc. ostenduntur, concurrente ad hoc maxima hominum multitudine.

Si vero princeps aliquis Nürembergam accedit extra praefatum tempus, eidem ea videnda proferunt. Unde anno Domini 1486 dominica Cantate, dum essent fratres provinciae nostrae capitulariter ibi congregati, exhibuerunt nobis illa insignia videnda, palpanda et deosculanda, inter quae etiam ferrum illud sanctissimae lanceae Domini est, quod cives illi singulis fratribus tractandum propriis manibus pro singulari Ordinis reverentia obtulerunt. Ibi vidimus et capitibus nostris imposuimus pretiosissimam auream gemmatam coronam Caroli et sceptrum aureum, pomum aureum, calcaria aurea et caetera imperialia insignia, quae omnia eadem septimana in Nürembergam reducta fuerant a Francofurdia, ubi gloriosus victoriosusque Dux Austriae Maximilianus, filius magni Friderici III., in Romanorum regem electus fuerat et his insigniis sacris investitus.

Ecce, quam longe compellit me evagari per mundum evagatorium nostrum! Jam Jerosolymam revertar, quae post discessum (268 A) Caroli M. aliquibus annis in pace stetit, et occidentales sine omni gravamine ad loca sancta

Ende

Anfang